

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3807

Auteur(s) : Verneuil (vicomte)

Bénéficiaire(s) : Pierre de la Broce, Langes (seigneur), Damville (seigneur)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1276, 23 juillet

Lieu d'émission : Verneuil

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le vicomte et le bailli de Verneuil font savoir que le chevalier Pierre de Marcouville et sa femme ont reconnu avoir donné et abandonné le sergenterie, qu'ils avaient tenu en fief du roi de France à Damville, à Pierre de la Broce, seigneur de Langes et de Damville, et à ses héritiers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 870, p. 204-205.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, .. ballivus et vicecomes Vernolii, salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis in jure constituti Petrus de Marcouville, miles, et Ysabellis, ejus uxor, recognoverunt se dedisse et quitavisse in perpetuum nobili vivo Petro de Brocia, domino Langesii et Danville, et heredibus ac successoribus ejus, de sergenteria, quam dicti miles et ejus uxor tenent in feodum de domino rege Francie, partem illam scilicet que se protendit et durat per totam terram seu feodum de Danvilla et ejus pertinentias, ita quod iidem miles vel dicta domina Isabellis, ejus uxor, aut eorum heredes vel successores, per se vel per alios, in terra seu feodo de Danvilla, vel in aliqua pertinentiarum ipsius, servientis officio fungi, vel illuc intrare seu stare pro serjantando de cetero non valebunt, promittentes iidem miles et ejus uxor per juramenta sua, tactis sacrosanctis euvangeliis, prestita, quod contra donationem seu concessionem hujusmodi vel aliquid de contentis in presentibus litteris per se vel per alios non venient in futurum ; se et suos heredes et successores ipsi Petro, quantum ad hoc, specialiter obligando ; de qua parte serjanterie se in manu nostra devestierunt, et nos, ad eorum instanciam, .. procuratorem dicti Petri suo nomine investivimus de eadem, ac petierunt dicti miles et ejus uxor coram nobis, quod prefatus dominus rex predicta omnia concedere velit, et per suas patentes litteras confirmare, et quod nos et successores nostri ipsos et eorum heredes et successores compellamus, si opus fuerit, ad observationem eorumdem. In cujus rei testimonium, sigilla ballivie et vicecomitatus Vernolii, una cum sigillis eorumdem militis et ejus uxoris, duximus apponenda. Datum et actum in assisiis Vernolii, die jovis in crastino festi beate Marie Magdalene, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.